

1570 civitati potus copiam fecit . Ad septentrionem Ceraunium oppidum , nunc *Cerines* appellatum , jacet ; a Ciro Persarum Rege conditum ferunt . Ejus suburbio fatis firmo ob arcem struendam diruto , cum de muniendo oppido in Senatu ageretur , Leucosiae situs delectus est . Ad septentrionem Amathus , *Limissus* hodie nuncupata , sita est , praestantibus aquis , aere , lacu propinquo , qui ingenti piscium copia , auratarum in primis , scatet . Canum , ac falconum venationibus nobilis ; vini , & olei ferax ea regio est ; litoribus ad navigia tuto excipienda accommodatis ; ad mercimonia , & negotia in Syria , & Alexandria exercenda peropportuna . Inde navibus in occidentem tendentibus , aquatio , & lignatio suppeditatur ; gossipiumque & faccarum affatim praebetur .

Tot beatæ insulae egregia dona , Mustapha in primis alumno suadente , Selymum impulere , ut dum in Magnesiæ principatu , uti , qui ad regiam dignitatem prope accedunt , assuevere , potiretur , senescentisque Suleimani patris obitum expectaret , ingenti Cypri occupandæ siti inflammaretur ; insulae amplitudinem , vires , divitias Mustapha exaggerante , septingentorum passuum millium ambitu , perbenigno ac felici caelo lætam , diuturna incolarum pace , opibus , potentiaque florentem , quæ fane ad sui initia imperii cohonestanda mirum in modum conducere : *Non permittendum hujusmodi propugnaculum in Asia penes Christianos esse , ex quo nonnunquam , uti superioribus ætatibus contigerat , invadi præpotens , ac dives Syriæ provincia , Hierusalem quoque ( quo nil magis Christicolæ in votis habent ) aliquando peteretur . Quid quod eo veluti munimento freti , ex occidente piratæ in Aegyptum usque percurrerent , universasque eas oras fœdissimis direptionibus , ac cædibus deformarent , peregrinosque Mochuram , quæ Mecha nunc dicitur , religionis causa adeuntes interciperent , vita bonisque exuerent ? Facillime a præpotenti Rege in suis ditionibus pugnante hæc posse confici . Contra cuncta Venetis difficilia , atque insensa fore : vicies centena millia passuum Cyprum a Venetiarum urbe abesse , ut opportune instructa , ac præmunita ad excipiendos potentissimi hostis impetus reddatur , credi vix posse . Acamantem , modo Divi Epi-*  
pha-